

per consequens, ut filius patri, & non pater filio succedat in omne patrimonium, fiatque ex asse heres: attamen contingere solet, ut tam facile filius ante patrem contra patris votum, quam pater ante filium moriatur.

Ordo in omnibus rebus multum facit, præsertim in studiis & processibus tam civilibus quam criminalibus plurimum juvat, causam controversam illustrat, & faciliorem reddit, ac Judicem longè facilius instruit, ut sciat, quid de proposito negotio sit sentiendum vel statuendum; qui verò ordinem in processibus non observat, summa imis misere confundit, & equum per caudam frenare dicitur. Tales confusos Advocatos gravissimè reprehendit Crassus apud. Cicer. libr. 2. de Oratore. Ita confusa, inquit, est oratio, & ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia ac turba verborum, ut oratio, quæ lumen debet adhibere rebus, ea obscuritatem & tenebras afferat; atque ut quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere videantur. Ordo generaliter ita definitur: est rerum parium dispariumque apta dispositio.

Pacta nuda jure civili non obligant, quia stant in puris terminis conventionis, quæ nullo legis auxilio juvantur, ad civilem obligationem producendam. Ideo ex nudo pacto non oritur actio civilis, sed saltem exceptio datur, l. 7. §. 4. ff. de pact. ratio juris civilis est: quod si homines, ob quævis promissa leviter vel inconsideratius facta, statim necessariò obligarentur; nullus unquam in foro humano litium esset finis: ideo ad excitandum virtutis studium longè honestius & utilius pro conservanda reipubl. Romanæ tranquillitate duxerunt Jcti antiqui R; quædam ut nuda pacta relinquere hominum inter se spontaneæ fidei & probitati, quam omnia arctis legum vinculis, ac durâ obligationum necessitate adstringere; ut pacta nuda ex libera potius voluntate, & bona fide paciscentium pendeant, quam ex aliqua legum coactione: cum in necessitatibus nullus sit virtuti locus. Has politicas rationes Romanas jus canonicum negligit, contrarium statuendo: pax, inquit, servetur, & pacta custodiantur, c. 1. X. de pact. ratio juris canonici est, quia illud non curat juris apices, sed substantiam fidei promissæ penitus considerat; imprimis verò animarum salutem in omnibus pactis, contractibus, & negotiis civilibus piè respicit. Idcirco sicuti Deus inter simplicem & solennem loquelam

non